

que praebens summam totius rei diligenter inspiciat. Cum autem et totius privatae vitae et eorum, quae in republica gessi, ratio, ut videtur, hodierno die a me reddenda sit, volo, quemadmodum a principio feci, ita nunc rursus deos invocare et in praesentia vestra precor, primum ut quantum benivolentiae semper habui erga hanc urbem et erga vos omnes, tantum nunc mihi a vobis in hac causa praestetur, deinde ut quod vobis et ad gloriam communiter omnibus et ad religionem singulis vestrum, hoc dii ut decernatis efficiant.

Si igitur ea dumtaxat, quae accusatorio iure persequatur, accusavisset Aeschines, ego etiam ad ea ipsa sigillatim respondissem, verum cum ipse non pauciora verba in aliis rebus consumpserit multaque contra me mentitus sit, iustum simul ac necessarium esse arbitror, pauca de his praemittere³⁾, ne forte quis vestrum illius verbis seductus ea quae ipse dicam parum benivole suscipiat. Ad ea igitur, quae in privatam vitam meam contumeliose iactavit, videte *Fol. 67.* quam plenissime⁴⁾ iusteque respondeam. Si vos me talem esse cognoscitis, qualem ipse affirmat — neque enim alibi ego vixi, quam apud vos — nulla sit mora, etiamsi rem publicam plus quam optime gesserim, quominus me vestris sententiis condemnetis⁵⁾. Sin autem multo meliorem quam istum ac ex melioribus ortum, et — ut nil molestius dicam — mediocribus civibus me ac meos nihil deteriores esse putatis atque cognoscitis, huic ne in aliis quidem fidem adhibete: constat enim ipsum omnia eodem modo esse mentitum: mihi vero quam omni tempore benevolentiam in multis certaminibus praestitistis, eandem nunc praestetis. Tu flagitiose Aeschines stulte nimium putasti, me his quae in re publica gesserim relictis ad tua maledicta totum converti: non faciam certe id, non ita tumeo: sed publica prius perscrutabor, quae tu falso calumniatus es, de maledictis autem tuis impudentissimis, si istis placebit, postea dicemus.

Crimina igitur multa sunt ac gravia et quorum pleraque leges⁶⁾ atque ultimis vindicant poenis: haec autem accusatio eiusmodi est, ut adversarii contumeliam, procacitatem, petulantiam atque eiusmodi simul omnia contineat.

³⁾ praetermittere C.
wohl *magnis*.

⁴⁾ planissime?

⁵⁾ condatis C.

⁶⁾ Es fehlt